QUÆSTIONES ANNO 1867

COLLATIONIBUS THEOLOGICIS DISCUTIENDÆ

in Archidiœcesi Quebecensi

MENSE JANUARIO.

Sempronius parochus catechismum explicans, ut suos auditores attentiores reddat, dicit illos teneri jure divino omnes rationes suæ fidei a fundamento explorare ut sit eorum *rationabile obsequium.* Promittit se illis expositurum ex ordine et breviter omnia motiva credibilitatis et eos hortatur ut attente et prompto ac alacri animo ea percipiant ut sic tandem in sua fide plenissime confirmentur et possint elicere actum fidei qui Deo placere possit.

Caïus vicarius hanc exhortationem audiens timet ne parochus erraverit et quemdam theologum consulit :

1° *In quo consistit discrimen inter examen protestantium et examen quod catholicis licet, salva semper fide ?*

2° *Quid de exhortatione Sempronii ?*

3° *Quid in specie de textu S. Pauli* (Rom. XII, 1) : *Rationabile obsequium vestrum ?*

Quæritur quænam censendæ sint *rationabiles causæ* ut quis possit uti privilegio *impertiendi extra Missam benedictionem nuptialem solemnem iis sponsis, quibus jure communi licet intra Missam impertiri,* concesso per indultum 5 februari 1865, prout legitur in actis Concilii Quebecensis III, pag. 75 ?

MENSE MAIO.

Petrus confitetur se per decem annos omisisse solutionem cujusdam census vitalitii Paulo debiti, item medicum nunc mortuum jam a decem annis, per plures annos adhibuisse quin ei unquam aliquid solverit, et tandem cuidam servo